

cap. i. n. 4. h. t. post Bartolum l. *Infames*. ff. de *Public. judic.* Et subjungit Abbas, utile esse, ut apponatur nomen utriusque, videlicet tam Papæ quam imperatoris, una cum at Imperii, seu papatus. Porro notaen concilii illius anni, olim quidem apponi debebat, juxta d. Auth. *Ut præponatur nomen*, etc. istud tamen hodie locum amplius non habet. Glossa can. *Quoties cordis*. l. q. 7. v. *Consulibus*.

24. *In eo debet exprimi locus in quo celebratur contractus in ipso expressus; et quidem locus particularis.* — Sexto, necessarium est, ut in instrumento publico exprimaturs locus, in quo celebratur contractus, sive actus ille, qui instrumento exprimitur. Glossa c. *Abbate sanc.* v. *Censeretur* juncto textu ibid. de *Sentent. et re judicat.* in 6.; Abbas cit. n. 3. Covarruvias *Pract. Quæst.* cap. xx. n. 3. Mascardus cit. quæst. 6. proem. n. 89. et 90. citans alios. Et quidem locus celebrationis actus debet in instrumento exprimi, non tantum in genere, v. g. dicendo ita esse actum, nimirum domus in qua actus ille gestus est: alioquin hujus omissio instrumentum labefactare posset, ob incertitudinem illam, quam haberet, si locus et tempus contracti instrumenti deficeret. Covarruvias cit. n. 3; Mascardus n. 90, allegans alios. Quinimo majoris securitatis gratia, solet etiam exprimi in instrumentis locus loci particularis; puta, hypocaustum ipsius domus: quamvis hoc ultimum non ita sit necessarium, ut notat Mascardus loc. cit. n. 91. post Bartolum, et alios communiter.

25. *Nomina etiam testium, qui interfuerunt actui, sunt instrumento publico inscribendi.* — Septimo, nomina testium, qui celebrationi actus, super quo fit instrumentum, interfuerunt, atque ad minimum duo requiruntur, etiam publico instrumento sunt inscribenda. Auth. de *Instrumentorum cautelis*. § *Sed etsi instrumenta*. collat. 6. Et solet quoque addi per tabellionem in instrumento, quod testes illi fuerint ad hoc vocati, et rogati: quamvis de jure istud non sit necessarium, demptis certis casibus. Speculator loc. cit. n. 10; Abbas cit. n. 3. vers. *An autem testes*. et alii.

26. *Testium tamen subscriptio non requiritur.* — Testium tamen subscriptio neutiquam requiritur ad instrumentum publicum, prout desumitur ex Auth. de *Instrumentorum cautelis*. § *Sed etsi instrumenta*. collat. 6. juncta Glossa v. *Compleatur*: ac notat Abbas d. cap. i. n. 3, h. t.; Covarruvias *Pract. Quæst.*

cap. xx, n. 4, citans alios: quidquid contradicat Glossa c. *Post cessionem*. v. *Litteras de Probat.* cum nonnullis aliis. Quamquam in hoc servandam esse consuetudinem locorum moneat Abbas loc. cit. Nec obsit, si testes se subscribant arg. c. *Cum inter*. 13. de *Sentent. et re judicat.* et l. *Contractus*. c. h. t.

27. *Ex parte notarii plura requiruntur ad validitatem instrumenti. Nempe, ut is legitime sit creatus, ac per se sciat actum, etc.* — Octavo, atque ex parte notarii, ad validitatem instrumenti plura requiruntur. I. Ut is legitime fuerit creatus: id est, ab habente potestatem publicus notarius constitutus. II. Notarius confecturus instrumentum, debet per se scire, atque interfuisse ipsi negotio de quo conficit instrumentum: ac proinde nihil aliud debet scribere, quam quod ipsemet propriis oculis vidit, atque præsens audivit; prout habetur Auth. de *Tabellionibus*. collat. 4. et cum aliis notat Speculator cit. tit. de *Instrumentorum editione*. § 1. 13; Menochius, lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 144. n. 8, et Engel h. t., n. 7.

28. *Notarius debet subscribere nomen suum, addendo, qua auctoritate sit notarius.* — III. Notarius nomen suum subscribat propria manu, addendo qua auctoritate, an Cæsarea, vel pontificia, sit notarius: alias vitiabitur instrumentum. Auth. de *Instrument. cautel.* § *Sed etsi instrumenta*. collat. 6. juncta Glossa ibid. § *Adjiciatur*. Speculator cit. tit. de *Instrument.* edit. § 1. n. 11; Covarruvias d. cap. xx. n. 5; Mascardus, quæst. 6. proem. n. 91; Engel h. t., n. 14; et alii ab istis citati

29. *An etiam debeat addere signum sui notariatus? Narbonæ, et in quibusdam locis, hoc non fit.* — IV. Notarius debet addere signum sui notariatus, cit. Auth. de *Instrument. cautel.* § *Sed etsi instrumenta*. juncta Glossa § *Oportet*. et l. ult. c. de *assessorib.*; Covarruvias cit. n. 5. asserens hujus omissionem vitare instrumentum; Mascardus loc. cit. n. 92. post Bartolum in proem. ff. n. 6. et alios. Et quamvis Abbas cap. i. n. 3. vers. *Decimo requiritur*. h. t. et c. *Inter dilectos*. n. 3. et Felinus hic n. 5. vers. *Et adverte eod.* velit, quod solemnitas sigilli in instrumento manu publici notarii confecto non sit necessaria, nec defectus in eo noceat: atque etiam Speculator cit. tit. de *Instrument.* edit. § 1. n. 15. referat, quod in quibusdam locis, ut Narbonæ, tabelliones non ulantur aliquibus signis, sed solum de in instrumentis subscri-

bant: tamen illico hinc subjungit, quod circa istud sit standum consuetudini regionis, nihilominus utile sit, ac honestum, unumquemque notarium suum proplum habere signum. Addit Engel cit. n. 14. h. t. quod quamvis hoc signum non esset ne substantia instrumenti, ut vult Abbas, ubi supra, cum nonnullis aliis: tamen consuetudo ita passim invaluit, ut instrumentum illo signo carens, de falsitate suspectum habeatur.

30. *Notarius debet esse rogatus a partibus.* — V. Ad valorem instrumenti ex persona notarii requiritur, ut sit rogatus a partibus, Auth. de *Tabellionibus*. § 1. collat. 4. Atque ideo stylus communis habet, ut notarii in principio, vel fine instrumenti expriment, se fuisse rogatos.

31. *Is attendat, ut semper servet eandem formam subscriptionis.* — VI. Notarius attendat, atque in praxi sollicitus sit, quod semper servet eandem formam subscriptionis in uno instrumento, ac in aliis: ut cum opus fuerit, possit fieri comparatio instrumentorum per ipsum confectorum, arg. cit. de *Instrument. cautel.* juncta Glossa. § *Adjiciatur*. collat. 6.

32. *Dixit solemnitates in publicis instrumentis sunt servandæ; et cur? Omissio solemnitatis de consuetudine requisitæ vitiat instrumentum.* — Tandem sciendum, quod licet aliquæ ex dictis solemnitatibus de rigore juris non forent necessariae, dummodo alias non interverit vitium; de consuetudine tamen tales solemnitates in publicis instrumentis adhiberi soleant et debeant: nam omissio solemnitatis de consuetudine requisitæ ita vitiat instrumentum, sicut omissio solemnitatis juris. Glossa in d. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris*. v. *Auctore*. Alexander consil. 166. n. 13. lib. V. Mascardus cit. quæst. 6. n. 93, allegans insuper Cravettam, consil. 216. et alios. Addit Engel h. t. n. 15. constitutionem Maximiliani imperatoris, in comitiis Coloniensibus anno 1512 promulgatam, in qua dictæ solemnitates in necessitatem legis translate videntur.

33. *Notarius, vel alius ad scribendum testamentum alienum vocatus, nequit sibi adscribere hæreditatem, aut legatum, sub pœna falsi.* — Caveat autem notarius, vel quicumque alius ad scribendum testamentum alienum vocatus, ne in tali testamento, vel codicillo, manu sua sibi hæreditatem, aut legatum adscribat: alioquin enim non solum privaretur tali legato, sed etiam incideret in pœnam falsi,

l. *Divus Claudius*. § 1. ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. et l. *Quæ in testamento*, ac seqq. c. « de his, qui sibi adscribunt in testament. » Hostiensis in *Summa*. tit. de *Falsis*. n. 5.; Julius Clarus in *Pract. crimin.* § *Falsum*, n. 34; Zoesius lib. XLVIII. ff. tit. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. n. 17 et alii. Siquidem hæc res est jure prohibita, quia fraudi obnoxia: unde si testator quid velit relinquere notario, vel alteri testamentum scribenti, istud scribendum erit manu aliena, cit. l. *Divus Claudius*. § *fin.* ut sic evitetur fraudis suspic. Zoesius loc. cit. ubi n. 24, subjungit, quod serenissimi imperii principes edicto anni 1611, art. 14. vetuerint notariis, et iis qui funguntur notariorum vice, sibi quid adscribere, aut parentibus suis usque ad quartum gradum, secundum jus civile computandum. Verum de hoc plura doctores præallegati, et alii juris civilis interpretes.

§ II.

DE FIDE PROTOCOLLI, ATQUE EXEMPLARIUM, SEU TRANSUMPTORUM.

34. *Protocollum, quid? — Quæritur I. Quid sit protocollum, et quam vim probandi habeat? Resp. I. Protocollum est prima, seu originalis scriptura, in qua breviter a tabellione annotatur substantia actus gesti, ut deinde extendi et absolvi possit. Ita Calvinus in *Lexico juridico*. v. *Protocollum*; Spiegelius in *Lexico juris* eod. v. *Protocollum*, et alii. Et dicitur *Protocollum*, a græco verbo, πρότος, quod est primum, et κόλλω, quod est collatio, scilicet litterarum: quasi diceretur; *Protocollum*, est prima collatio litterarum in charta. Glossa in Auth. de *Tabellionibus*. v. *Protocollum*, collat. 4. Atque alio nomine dicitur, *Abbreviatura*. Mascardus de *Probat.* concl. 4. n. 1. et 5. Card. Tuschus litt. P. concl. 945. n. 1. illud appellans *Imbrevisaturam*, sive instrumentum notarii non extensum.*

35. *Dicitur etiam liber, in quo originalis scriptura instrumentorum continetur.* — Porro protocollum dicitur etiam liber, in quo prima matrix, seu originalis scriptura instrumentorum rogatorum describitur, habens generalem superscriptionem: « Hic est liber protocollorum mei, » etc. De quo fit mentio in cit. Auth. de *Tabellionibus*. § *Illud quoque*, juncta Glossa v. *Protocollum*. et notat Card. Tuschus loc. cit. n. 3. Quamvis de consuetu-

dine liber iste protocolli non ubique sit in usu : sed vel in quaterno, vel in alia prorsus charta rogationes petentium, seu substantia- lia actuum a petentibus gestorum, per tabel- liones, sive notarios publicos describi soleant. Glossa loc. cit.

36. *Protocollo, si omnia requisita habeat, plena fides adhibetur.* — Resp. II. Protocollo, si habeat omnia requisita, plena fides adhi- betur. Ita Speculator tit. *de Instrumentorum editione.* § *Videndum.* n. 4. Abbas c. *Cum P.* n. 3. et Felinus ibid. n. 1. h. t.; Mascardus d. concl. 4. n. 1. post Bartolum in rubric. c. *de Fide instrument.* et concl. 1250. n. 2 et 26; Pirhing. h. t. n. 16. et alii, nonnullis tamen exceptis, ob rationem loco objectionis n. 38. afferendam. Conclusio hæc desumitur ex l. *Argentarius*, juncta Glossa v. *Absimiles*, et Summario, ibid. ff. *de Edend.* ubi argentiarii, et omnes, qui gerunt officium publicum, puta notarii, tenentur suas rationes, cum opus fuerit, edere : et consequenter ho- rum scripta probant. Idem, et quidem fortius probatur ex c. *Quoniam contra.* 41. *de Probatione.* ubi iudex semper adhibere jubetur nota- rium publicum, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribant ut si quid difficultatis emerit, ad eadem imposterum possit haberi recursus : et con- sequenter protocollum ejusmodi probat. Con- cordat textus notabilis in l. ult. c. *de Re ju- dicat.* ubi dicitur : « Gesta quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus per- petuam firmitatem : neque enim morte co- gnitoris perire debet publica fides. » Accedit ratio ; quia instrumentis ex protocollo extrac- tis habetur publica fides, et perpetua firmi- tas, cap. penult. h. t.; ergo multo magis ipsi protocollo, juxta illud vulgatum philosopho- rum : « Propter quod unumquodque tale, et illud magis est tale. »

37. *Adeo ut in dubio magis sit standum pro- tocollo, quam instrumento inde desumpto.* — Resp. III. Protocollo habenti omnia requisita adeo creditur, ut in dubio magis sit standum protocollo, quam instrumento inde desumpto. Ita Abbas c. *Tum ex litteris.* n. 8. *De in inte- gram restitut.* Bartolus l. *Sempronius.* ff. *de Legat.* 2. istud probans ex l. *Si quis ex ar- gentariis.* § penult. ff. *de Edend.* et Auth. *de Tabellionibus.* collat. 4. per totum. Alexan- der consil. 105, n. 1, vol. 2; Menochius, *de Arbitrar. Judic.* lib. II, cas. 87, n. 21; Mas- cardus, *de Probat.* concl. 1250. n. 2. et plu- rimi alii ab his allegati. Idque clare desumi-

tur tum ex cit. c. *Quoniam contra de Probat.* tum amplius ex d. Auth. *de Tabellionib.* col- lat. 4. ubi multas fraudes per hoc fuisse de- tectas, fatetur imperator in § *Illud quoque,* illis verbis : « Novimus enim multas falsitates ex talibus chartis (protocollis) ostensas et nunc, et prius. » Hinc Zoesius h. t. n. 6. recte cum aliis notat, si contrarietur proto- collo instrumentum, potius standum esse protocollo, tanquam priori et continenti primam actus sive contractus gesti concep- tionem; et quia ex eo trahitur instrumen- tum, et istud secundum formam illius expedi- di debet : quo fit, ut si de instrumenti fide dubitetur, ad protocollum recurri soleat.

38. *Solvitur instantia. Nihil creditur actum, dum aliquid superest addendum.* — Objicies majoris charitatis gratia. Protocollum est principium instrumenti nondum completi; ergo nisi compleatur, pro nihilo habetur, sicque non probat, arg. l. *Cum Syllanianum.* § fin. c. *Ad Syllanian.* ubi imperator sic loquitur : « Nihil etenim actum esse credimus, dum aliquid addendum superest. » Resp. cum Abbate cit. c. *Cum P.* n. 3. h. t. instantiam hanc, et contrariam quorundam opinionem procedere, quando sermo est de protocollo imperfecto; seu ita truncato, et abbreviate scripto, ut non possint ex eo, quæ facta sunt, plene intelligi : tunc enim, cum multa possint intelligi sub abbreviaturis illis, non est congruum fidem adhiberi, donec nego- tium illud in publicam et extensam formam redactum fuerit. Secus dicendum de protocollo, quod habet omnia requisita, et de quo hactenus dicta procedunt. Verum occasione hujus.

39. *Quæ requirantur ad protocollum, ut plene probet? Notarius illud conficiens debet esse rogatus a partibus, ac per se audire nego- tium.* — Quæritur II. Quæ requirantur ad protocollum, ut habeat vim probandi? Re p. I. Ad protocollum, ut plene probet, requiri- tur cumprimis, quod manu notarii, per se negotium audientis, ex rogatione partium, sit scriptum, et quidem tam clare, ut ex ipso quæ gesta sunt, plene ac distincte intelligi possint. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 3; Felinus ibid. n. 1. h. t.; Mascardus, *de Probat.* concl. 4; n. 24. et seqq. et concl. 1250. n. 26. et 40; Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. II. cas. 187. n. 1. et 30, aliique ab his alle- gati. Et quidem, quod tabellio, sive notarius publicus, debeat a partibus esse rogatus, et ipse per se audire negotium, ac ipsemet scri-

bere, non vero aliqui alteri delegare : habe- tur statutum in Auth. *de Tabellionibus.* § *Nos autem.* collat. 4. juncta Glossa ibid. v. *Ipsis per se.*

40. *In protocollo debent gesta clare esse conscripta.* — Cæterum, quod in protocollo, ut probet, debeant gesta clare esse conscripta, patet ex proxime dictis n. 38. Alioquin enim ex eo constare non posset, quid revera gestum fuisset. Unde notulæ, seu schedulæ illæ, in quibus notarii multoties aliqua annotant, seu summam et admodum abbreviate scribunt, fidem in judicio non faciunt : quia voluntatem partium perfecte non exprimunt. Meno- chius, et Mascardus, ubi supra, et alii.

41. *Ad illud requiruntur omnia, quæ debent intervenire in publico instrumento.* — Resp. II. Ad protocollum, ut plene probet, ulterius requiruntur ea omnia quæ debent interve- nire in publico instrumento ad effectum ple- næ probationis, nempe subscriptio notarii, signum ipsius, rogatus seu petitio partium, expressio loci, temporis, et personarum cele- brati actus, seu contractus, conformiter dic- tis supra de solemnitatibus instrumentorum. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 3. et Felinus ibid. n. 1, h. t.; Alexander consil. 153. n. 12. vol. 2; Hondedæus consult. 66. n. 95. vol. 1. post Decium consil. 447. n. 5; Angelum con- sil. 220. et alios; Mascardus d. concl. 4. n. 17. et concl. 1250. n. 26. allegans alios. Id- que desumitur tum ex cit. Auth. *de Tabellio- nibus.* collat. 4. tum ex c. *Quoniam contra de Probat.* ubi inter alia ad hoc, ut acta judi- cialia per notarium conscripta faciant fidem perpetuam, requiritur, quod eadem diligen- ter conscribantur « loca designando, tempora et personas. » Accedit textus in cit. c. *Cum P.* 15. h. t. ubi ea, « quæ in nota redacta fuerant » a notario mortuo, non probant, donec auctoritate judicis ordinarii in publi- cam formam redigantur, de quo tamen infra n. 48. et seqq.

42. *Protocollum, an debeat publicari, seu prælegi partibus.* — Resp. III. Quamvis con- sultum sit, præter observatas alias solemnitates instrumenti publici, protocollum publi- care, seu prælegere partibus eo tempore, quo actus coram notario gestus est, atque in protocollum relatus, ut appareat, omnia rite percepta, et conscripta fuisse : nihilomi- nus loquendo de aliis casibus, in quibus scriptura non est de substantia actus, sive contractus, talis prælectio, seu publicatio protocolli coram partibus et testibus, non

necessario requiritur. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 4, h. t.; Pirhing h. t.; n. 17; Mascar- dus d. concl. 4, n. 26; post Socinum Junior. consil. 102, n. 8, vol. 4. et alios. Ratio est, quia nullo jure talis necessitas publicationis probatur. Quinimo c. *Quoniam contra.* *de Probat.* ad hoc, ut scriptura notarii perpetuam fidem faciat circa actus judiciales, so- lum requiritur, quod acta illa diligenter con- scribantur, « loca designando, tempora et personas, » non autem requiritur aliqua eorum prælectio, seu publicatio.

43. *Ubi scriptura est de substantia actus, non valet, quidquid scribitur nisi complete scribatur.* — Additur notanter, « loquendo de illis casibus, in quibus scriptura non est de substantia actus, sive contractus. » Nam ubi scriptura est de substantia actus, sive con- tractus, non valet quidquid scribitur, nisi complete scribatur, l. *Contractus.* c. h. t. ubi sancitur, contractus venditionum, permuta- tionum, transactionum, et hujusmodi, quos in scriptis fieri placuit, « non aliter vires ha- bere, nisi instrumenta in modum recepta, subscriptionibusque partium confirmata, et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a partibus abso- luta sint : » qualia proinde debent partibus prælegi, seu publicari. Glossa in l. *Fideicom- missa.* § 1. v. *Quoties.* ff. *de Legat.* III; Abbas cit. n. 4; Mascardus d. concl. 4. n. 26. vers. *Septimo.* allegans alios.

44. *Protocollum notarii, cui aliqua ex requi- sitis desunt, adhuc semiplenam facit probatio- nem.* — Resp. IV. Protocollum notarii, in quo sufficienter apparet de perfecta volun- tate partium, saltem semiplenam facit proba- tionem, etsi aliqua ex cæteris requisitis non adsint. Ita Bartolus l. *Admonendi.* § *Quæro pone quod in libro notarii.* ff. *de Jurejurand.*; Mascardus concl. 1250, n. 24, post Hostien- sem cap. 1. h. t.; Nevizanum consil. 25. n. 9. et alios, istud exemplificans in defectu indic- tionis, et subscriptionis, et signi notarii. Quia enim testis unus cæteroquin idoneus inducit semiplenam probationem, cur non idem di- cendum de notario publico, ejusque scrip- tura? Præsertim, quia juravit officium suum fideliter exequi, licet forsitan morte præven- tus non potuerit scripturam illam in formam authenticam redigere. Idem confirmatur ex cit. c. *Cum P.* 15. h. t. ubi alius notarius po- test notas defuncti notarii in formam publi- cam auctoritate judicis redigere; prout illico fusius declarabitur. Unde :

45. *An unus notarius possit in publicam formam redigere instrumentum juxta notas in protocollo alterius repertas? Notarius, dum vivit, non potest alteri notario committere completionem publici instrumenti, sed ipsemet debet illud complere.* — Quæritur III. Utrum unus notarius possit in publicam formam redigere instrumentum juxta notas in protocollo alterius repertas? Resp. I. Notarius publicus, dum vivit, non potest alteri notario committere completionem publici instrumenti, sed ipsemet debet illud complere, prout in protocollo reperitur. Textus est in Auth. *de Tabellionibus*. collat. 4. ubi Glossa v. *Ipsis per se*, notanter ex his ipsis verbis, ac sequenti littera infert, quod ipse tabellio, seu notarius debeat a partibus esse rogatus, ac ipse debeat per se audire, et scribere verba contractus usque ad finem, non vero possit illud alteri scribendum committere: « Quia (inquit) facere instrumentum, non competit jure magistratus; ergo delegari non potest, » I. I. *Princ.* ff. « de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio. »

46. *Nihil addendo, aut diminuendo, quam in protocollo continetur: et quomodo istud sit intelligendum?* — Concordat Glossa fin. in c. *Cum P.* h. t. asserens esse sciendum, « quod tabellio, dum vivit, non possit alteri committere completionem instrumenti, sed ipsemet debeat complere instrumentum, prout in protocollo reperitur: nihil addendo, aut diminuendo, quam in protocollo continetur; » ut in Auth. *de Tabellionibus*. collat. 4. Hæc Glossa quamquam verba illa, « Nihil addendo, » etc. intelligenda sint de verbis spectantibus ad substantiam actus, seu contractus: nam hoc ipso, quod protocollum sit in prima scriptura, in qua breviter solum a tabellione annotatur substantia actus gesti, ut deinde extendi, et absolvi possit, juxta dicta n. 34. necesse est, in ejusmodi extensione, seu confectione solemnisi instrumenti, quidam addere juxta interpretationem juris, et consuetudinem locorum, dummodo nihil addatur, aut diminuatur de substantialibus.

47. *Si duo, vel tres notarii de eodem instrumento fuerunt rogati, an tunc unus eorum possit inde instrumentum levare?* — Cæterum data conclusio patitur limitationem, quando duo, vel tres notarii de eodem instrumento rogati fuerunt: quia tunc unus eorum solus, vel is cui alterius protocollo commissa sunt, instrumentum authenticum inde levare potest. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II,

cas. 187. n. 7. id probans ex Auth. *de Instrument. cautel.* et fid. juncta Glossa in Auth. *de Hæredib. et Falcid.* § *Si vero absunt.* v. *Quantum.* Siquidem tunc unusquisque notariorum in solidum rogatus censetur: nisi forsitan ex adverso probetur, omnes notarios una simul et conjunctim rogatos esse; tunc enim non posset instrumentum tale ab uno eorum duntaxat levare. Alexander consil. 124, n. 4, lib. VII. post Baldum, et Angelum in l. *Si quis ex argentariis.* ff. *de Edend.* ex textu ibidem notantes, quod si plures notarii (nempe omnes insimul, ut intelligit Menochius cit. n. 7.) fuerunt rogati de eodem instrumento, non sit necesse, quod unusquisque scribat totum; sed sufficiat, quod unus scribat totum, et alter confirmet se subscribendo.

48. *Mortuo priore notario, qui protocollum fecit, potest alius istud in publicam formam redigere, concurrentibus tamen certis conditionibus.* — Resp. II. Quod si notarius ille, qui ad partium petitionem protocollum fecit, ante perfectionem solemnisi instrumenti mortuus fuerit; tunc, accedente judicis auctoritate, potest alius notarius antea requisitus ab iis, quorum interest, mortui notas, sive protocollum in publicam formam redigere; adeo, ut tale instrumentum inde extractum publicam fidem faciat, ac si a priore notario confectum fuisset. Ita communis: atque habetur expresse decisum in cit. h. c. *Cum P.* seu penult. h. t. ubi Gregorius IX. rescribit I. *Tabellioni*, illis verbis: *Cum P.* « Tabellio morte præventus, quædam si non perfecit instrumenta, quæ in nota redacta fuerunt ab eodem, ad petitionem eorum, ad quos pertinent, auctoritate ordinarii judicis poteris (tu I. Tabellio) ea fideliter in publicam formam redigere, habitura per hoc perpetuam firmitatem. » Hæc pontifex.

49. *Nimirum, si prior mortuus est naturaliter, aut civiliter.* — Ex quibus verbis Joan. Andreas in cit. c. *Cum P.* n. 8. et Abbas ibid. n. 1. et Barbosa in *Collectan.* n. 2. et seqq. h. t.; Covarruvias *Pract. Quest.* cap. XXI. n. 3. et alii plures desumunt condiciones requisitas ad hoc, ut unus notarius possit in formam redigere, ac publicare instrumentum, de quo fuit rogatus alius. I. Ut iste « morte præventus fuerit: » quod non tantum de morte naturali, sed etiam civili, puta missione in exilium, imo et de longa infirmitate, seu alio diuturno impedimento procedit. Abbas, Barbosa, ubi supra. Alias enim

unus notarius non potest publicare, seu in publicam formam redigere notas, sive protocollum alterius notarii: ut cit. c. *Cum P.* h. t. et Auth. *de Tabellionibus*. collat. 4. estque proxime dictum n. 45. et 46.

50. *Fiatque istud ad petitionem eorum, quorum interest.* — II. Ut secundus notarius istud faciat « ad petitionem eorum, ad quos pertinet. » Unde etiam pars adversa, cujus interest, debet citari: ast si pars est incerta, requiritur generalis citatio per proclamationem. Barbosa, loc. cit. n. 3. cum aliis: quamquam simul referat nonnullos casus apud eundem videndos, in quibus talis citatio non requiritur.

51. *Et accedat auctoritas judicis ordinarii, vel delegati. Illeque secundus sit notarius publica auctoritate creatus.* — III. Auctoritas judicis ordinarii, vel delegati: hæc enim necessaria est, tum ad citationem partis adversæ, tum ob dicenda n. 54. IV. Ut ille secundus, qui supplet vices defuncti, etiam sit tabellio, seu notarius publica auctoritate creatus; uti liquet ex ly « *Poteris,* » juncta superscriptione cit. c. *Cum P.* h. t.

52. *Et prioris protocollum redigat in formam publicam.* — V. Ut ille secundus notarius notas, seu protocollum prioris notarii, mortui, in « publicam instrumenti formam » redigat. Quale protocollum notarius penes se servare debet, c. *Quoniam contra.* 41. *de Probat.* et Auth. *de Tabellionibus*. collat. 4. ea addita ratione: « ut habeat, unde sciat negotium; et interrogatus a iudice possit, quæ subsequuta sunt, cognoscere et respondere. »

53. *Atque istud præstet fideliter. Notarius protocollum penes se habere debet.* — VI. Ut istud præstet fideliter: hoc est, nihil ad substantiam pertinens addendo, subtrahendo, vel mutando ex iis, quæ in notis, seu protocollo defuncti continentur. Glossa fin. et Abbas in cit. c. *Cum P.* h. t. Quamquam per hoc non negetur, quin alter notarius illa, quæ abbreviate reperit scripta in protocollo defuncti, extendere valeat, secundum interpretationem juris, vel consuetudinis, aut communis intellectus: dummodo nihil addat, subtrahat, vel mutet de pertinentibus ad substantiam actus. Joan. Andreas cit. c. *Cum P.* n. 8. et Abbas ibid. n. 5. h. t. estque dictum paulo superius n. 46.

54. *Judex de præmissis summarie cognoscat.* — VII. Ut de morte, seu diuturno impedimento prioris notarii, simulque de fide et integritate illius, necnon protocolli, seu no-

tarum per ipsum factarum, judex summarie cognoscat: ad quod quippe auctoritas judicis, de qua in c. *Cum P.* h. t. fit mentio, vel maxime requiritur. Covarruvias *Pract. quæst.* cap. XXI, n. 3; Pirhing, h. t., n. 19, allegans alios. Verum occasione præmissorum.

55. *Schedulæ a notario scriptæ, an faciant plenam fidem.* — Objicies contra dicta n. 41. Juxta sæpe cit. c. *Cum P.* 15. h. t. et conclusionem proxime datam, priore mortuo potest alius notarius « ea, quæ in notam redacta fuerunt ab eodem priore notario, » in publicam formam redigere, etc.; ergo non solum protocollum notarii habens solemnitates publici instrumenti, sed etiam schedulæ ab eodem scriptæ, seu notæ in schedula protocollo non insertæ, contentæ, faciunt plenam fidem. Probatum consequentia. Quia transumptum, seu extractum non potest habere majorem fidem, quam ipsum originale; nam procedens a radice infecta et vitiosa, etiam ipsum redditur vitiosum: ergo si instrumentum ex nota, seu schedula mortui notarii extractum plenam fidem facit, pariter ipsamet nota illa, seu schedula plene probabit.

56. *Protocollum, nota, et abbreviatura, idem sunt.* — Ad hanc instantiam respondetur cum Abbate in cit. c. *Cum P.* n. 3. h. t. quod nota seu abbreviatura, de qua ibidem est sermo, idem sit, ac protocollum: hæc enim tria (inquit) nempe « *Protocollum,* seu nota, sive abbreviatura idem sunt. » Unde nihil sequitur contra hactenus dicta, bene tamen confirmantur eas quæ n. 41, dicta sunt de solemnitatibus in protocollo requisitis, et quidem iisdem, quæ requirantur ad instrumentum: eo quod extractum non possit habere majorem fidem, quam ipsum primum origine.

57. *Et schedulis penes notarium defunctum repertis, quando possit confici publicum instrumentum?* — Quod si omnino contendas, etiam schedulis saltem penes notarium defunctum repertis, quando perfecte exprimunt voluntatem partium, licet careant subscriptione, aut sigillo illius notarii, debere adhiberi fidem, atque inde posse ad petitionem partium confici publicum instrumentum auctoritate judicis interveniente arg. cit. c. *Cum P.* seu cap. penult. h. t. Resp. cum Mascardo *de Probat.* concl. 1250. n. 38. citante Castrensem consil. 111. vers. *Si vero quæritur,* et consil. 306. vers. *Breviter.* vol. I. et nonnullos alios, multis tamen contradicentibus,